

I. N. J.  
EXERCITATIONUM ETHICARUM  
DISPUTATIO IX.  
DE

# FORTITUDINE,

*QUAM*

PRÆSES

M. JOHANNES *Deutschman*

Jutrebocensis.

ET

JACOBUS HIERONYMUS SCHLEUSING,

Autor & Respondens.

*proponent publicè*

In Auditorio Minori

*Ad d. 27. Mart.*

*Horis pomeridianis.*

WITTEBERGÆ.

---

Typis JOHANNIS HAKEN, Anno. M. D. C. LII.



EXERCITATIONUM ETHICARUM  
DISPUTATIO IX  
DE  
FORTITUDINE  
A. JOHANNES SCHLUSING  
JACOBUS HIERONYMUS SCHLUSING  
LAVO & REPONDIT  
in hactenymum  
Typis JOHANNIS HAREN Anno M. D. C. LII







IN NOMINE JESU!



Quanto in precio olim sit habita Fortitudinis virtus, testes ex omnibus uni nobis erunt *Lacones*. Qui ut virtute sua omnem suo tempore vicerunt Græciam, ita sua pariter auctoritate huic fortitudinis virtuti conciliabunt gloriam. Hi enim, ut nullis utebantur muris, sed murorum instar animi sui habebant & colebant fortitudinem, imo præter hanc animi constantiam nihil magni aestimabant; ita etiam omnem ætatem à sola fortitudine commēdabant, & omnis ætatis homines non sine publica lege omnem in hac virtute laudem collocabant. Et hoc si non aliunde vel melius vel clarius, satis tamen inde elucescit, quando tres illi chori apud eosdem populos cantu fortitudinem solam celebrarunt.

*Senum* chorus incipiebat: ἄμμοσ π' εἴ η̄μεν ἀλκιμοὶ νεανία, h. e. Nos quondam eramus inclyti bellouiri:

*Juuenum* chorus succinebat: ἄμμοσ δὲ γ' ἡμεν. ἀνθέλησ αὐγασθεο h. e. Nos ii sumus: fac, si velis, periculum.

*Puerorum* deniq; sequebatur chorus: ἄμμοσ δὲ γ' ἐσόμεθα πολλῶ κάρηνεσ. h. e. Nos fortitudine plurimum præsibimus.

Neq; tamen sola apud eos fuere verba, sed plurima ab hac fortitudine manarunt facta. Exempla qui desiderat, citimæ vetustatis scriptores consulat. Nos parili encomio hanc nobilissimam virtutum ideam, *Fortitudinem* nimirum, excipimus, si non equali consilio eadem vel exponere vel exercere possumus. Ne autem nostrum encomium vel sit vacuum, vel ulli videatur vanum, non omnem hic seponere possumus tractatum





tum. Vacuum esset, si absque re hæc nuda proponerentur verba. Vanum v. daret encomium, qui rei ignora cantaret præconium. Sub ipso igitur fortitudinis Autore & Conservatore has sequentes de fortitudinæ producimus theses.

1. Vestibulum virtutis hætenus incoluimus, dum generalia quædam capita de virtute explicuimus. Augustum jam & splendidissimum pariter virtutis ingredimur templum, quia ordine naturam cujuslibet virtutis in specie enarramus. Magnus in hoc templo virtutum comparet numerus, magnus virtutum ornatus, magnus itidem apparatus. Omnes nobilitate aliis rebus superiores, dignitate, necessitate effectuum ubertate inter se pares esse videntur. In coslo quidem naturali unicum videmus solem, sed in morali tot habemus soles, quot ullibi virtutum comparent species. Nec immeritò Ethicæ Virtutumq; Ethicarum cultori hoc non postremæ difficultatis surgit dubium, quænam virtus priori, quænam posteriori sit ponenda loco, ne in utramque ipse sit injurius; illam alteri præferendo, hanc alteri postponendo, omnes siquidem & orru, & statu, & dignitate, & necessitate, & utilitate videntur convenire. Nos vero, ne novitatis videamur studiosi, & eruditæ vetustatis contemptores ac inimici, tritam ac regiam sequimur viam, & à Fortitudinis explicatione nostram inchoamus operam. Tutius siquidem est, antiquam observare methodum, quam per spinosas argutias novum scrutari transitum. Cautius præterea plerorumq; sapientum amplecti sententiam, multis jam rationibus firmatam, quam paucorum quorundam obscurorum novatorum sequi viam, nullo certitudinis & rationis callo obductam.

2. Ne tamen illotis, quod ajunt, manibus rem tetigisse, & soli autoritatis titulo vacivas aures dedisse videamur, nostram, quæ à Fortitudine, secundum *Aristotelem*, sumit initium, tractationem rationibus confirmamus. (1) à fortitudinis objectiono. Versatur enim illa circa maximè difficilia, utpote quæ ipsam vitæ periculosa solent asferre. imo circa ipsam mortem,



rem, quæ maximam ex sua quadam proprietate sibi tribuit, difficultatem, ea est occupata, cum mors speciale sit fortitudinis objectum, ut postea patebit. Jam autem virtutis proprium est, difficilia curare, difficilia gubernare, in difficilibus omnem mediocritatem observare. Et quo objectum habet difficilius qualibet virtus, eo etiam illustrior, eo nobilior & admirabilior. (2) à fortitudinis subjecto. Nam fortitudo est propria viri virtus. Reliquæ virtutes frequentius etiam foeminis solent convenire, quia & foeminis inest justitia, & eisdem tribuitur liberalitas & temperantia, aliæ etiam virtutes ipsa non denegantur. Rarius autem fortitudo in hunc sexum cadere videtur, cum ejus quasi naturæ hæc virtus sit incommoda. Naturâ enim hic sexus molliori ei, inconstantia, timori & aliis affectibus est subjectus, qui communem cum fortitudine haut facile inveniunt sedem. Fortitudo animi summam firmitatem & constantiam requirit, & timorem à suo subjecto exulare cogit. Cum igitur vir foeminâ sit prior, foeminâ sit potior, fortitudo etiam priorem & potiolem meretur locum. Nam quod prius habet subjectum, potior i etiam inest subjecto, merito prius est explicandum. (3) à fortitudinis statu. Hic plerumq; solet esse publicus, cum vir fortis pro Rege & grege secundum Alphonsum, pro Patriæ conservatione cum Themistocle, pro Patriæ libertate cum Trasibulo, aliisq; publicis bonis fortiter solet pugnare. Quæ autem publicæ sunt, ea privatis minimè postponenda, sed omnibus modis anteferenda secundum illud vulgatum:

*Publica privatis anteferenda bonis.*

(4) A fortitudinis effectu. Hujus siquidem virtutis effectus sunt varii, ejusq; usus maximus in rebus etiam ponderosissimis. Si religionis conservare volumus puritatem, fortitudine opus est: si Republicam habemus integram, fortitudinis est beneficium. Si familiam servamus securam, fortitudinis est officium. (5) à fortitudinis proprio. Quia fortitudinis actiones maximum habent splendorem, & in oculos atq; admirationem.



tionem cadunt hominum. Unde Plato in *Lachete* dixit: ἡ ἀνδρεία ἐστὶ τῶν καλλίστων. Et Cicer. l. i. *Off.* Splendidissimum videtur, quod animo magno factum est. (6) à fortitudinis elogio. Nam veteres secundum *Scalig.* exerc. 266. & 300. fortitudinem solam putabant esse virtutem. Hinc illi soli videbantur virtuosissimi, qui præclare factis suam fortitudinem patriæ ostendebant. Alias rationes qui desiderat, eas apud Aristot. Interpp. legat, has allegasse hic brevitatis ergo sufficiat.

3. Fortitudinis theoriam duobus includimus membris, alterum *voci*, alterum *rei* suam locabit operam. Vocem breviter ut explicemus, notamus ejus. (1) *Etymologiam*. Fortitudo ab adjectivo *fortis* suam accepit originem, quia illi dicuntur sibi comparare fortitudinis virtutem, qui fortissimis factis, iisque creberrimis vitam suam illustrent, & habitum virtutis consummant. Et hæc immediata est derivatio. Quod autem mediatam concernit *Etymologiam alii* ab adverb: *Foras* fortitudinem dictam esse putant, quod illa hostem suum, qui foras est, superare doceat. Illi n. qui hostes nostri sunt, plerumque foras sunt, & extra patriam nostram, adeoque peregrini. Unde hostis in bona significatione veteribus peregrinum denotabat. Qui cum jure hospitii abuterentur, sub hospitalitatis beneficio quærebant hospitem periculum & infortunium; quâ de causâ hostis vocabulum de inimico sumi captum est. Alii eam à *ferendo* deducere malunt, quia vir fortis ea, quæ ardua sunt & maximè difficilia, ferre ac sustinere potest, eademque propter virtutis & honestatis amorem suâ sponte quarit, & appetit.

4. (2) *Homonymiâ* non respuit fortitudinis vocabulû, sed variâ accipit apud autores usum, Sumitur n. (1) *improprie* & ita tribuitur tum *brutis*, tum rebus inanimatis, tum homini, *Brutis* quando tribuitur triplicem admittit variationem. Significat n. (1) *animositatem*, quæ quasi simulachrum quoddam fortitudinis in bestiis est. Sic Leo dicitur fortis, quia animosum est animal. Item canis dicitur fortis, quia

A cane



*A cane non magno saepe tenetur aper :*

(2) corporis magnitudinem, ut fortis idem sit quod robustus : sic tauri fortes dicuntur, quia immensæ magnitudinis corpus gerunt. (3) celeritatem, si Nonnio fidem habemus. Ita accipiuntur in illo *Lucretii* lib. 3.

*Quidnam tremulis facere viribus hædi  
Consimile in cursu possint ac fortis equi vis.*

Deinde quando rebus inanimatis tribuitur, rem univocam & non nisi magna violentia superabilem rem importat : sic turres dicuntur fortes &c. Homines etiam hanc impropriam significationem sibi vendicant & quidem triplici differentia. Sumitur (1) pro formositate. Sic *Plaut.* in *Mil.* a. 4. sc. V. 13. *Equitum fortis visa est.* (2) pro divitiis & nobilitate : sic idem *Plaut.* in *Trin.* a 5. s. 2. v. 9. *Eū sororē deſpondiſſe ſuā in tam fortē familiā.* (3) pro robore corporis ejusdemq; firmitate. Sic *Milo Crotoniaſes*, *Triſtamnius Samius*, *Junius Valens*, *Ariſtomoneſ*, *Meffenius fortes* dicti fuerunt. (II) proprie in sensu ethico sumitur iterum trifariam. (1) in sensu imperfecto pro nuda dispositione, quæ alias dicitur *laborum tolerantia* vel *continentia*. Sic *Horat.* lib. 2. *Epist.* 7.

*Agricola præſci fortes, parvorum beati.*

(2) in sensu generico, pro animi firmitate & constantia ad actiones honestas tam in adversa quam in secunda fortuna obsecundas. Sic omnis habitus virtutis, qui ex firmo animi proposito perturbationes vincit, hac ipsa venit significatione. (3) in sensu specifico, pro habitu virtuoso, qui modestiam circa metum & fiduciam observat : ut h. l. (III) Mystice in sensu Theologico, & sic tribuitur (1) *æαὶ* ἑξοχῶν DEO, quia inter alia Epitheta DEO etiam fortitudo tribuitur. (2) *Angelis* pro habitu concreto : sicut illi ex prima sua creatione fortes dicuntur spiritus. (3) *fidelibus* pro habitu infuso, qui nihil aliud est, quàm intrepida & perpetua constantia animi divinitus armati ; quæ si homo à DEO



sit ornatus, nullam penitus tyrannidem extimescit. Sic *Noa* contra ante-diluvianos, *Moses* contra Pharaonem, *Elias* contra Achabum, *David* contra Goliathum &c. summâ animositate usi fuerunt.

5. (3) *Synonymias* ratione hæc virtus dicitur alias *Magnanimitas*, grammaticè sc. sumpto hoc vocabulo, quia vir fortis animum in periculis sustinendis vere magnum adhibet. Item *Patientia*, *Tolerantia*, quæ tamen potius sunt dispositiones & viæ ad habitum, quàm habitus jam completus. Sic *Virg.* l. 2. *Æn.* vim etiam dicit fortitudinem.

*Instat vi patria Pyrrhus.*

Idem eandem pulchritudinem videtur nominare, dum fortem pulchrum appellat.

*Satus Hercule pulchro*

*Pulcher Aventinus. Scal. de causis LL. c. 22.*

6. Rem ipsam post vocis evolutionem aggredimur, & definitionem fortitudinis proponimus primum, deinde eandem breviter exponimus. Si enim totam rei naturam velimus intelligere, eandem nullibi melius, quam in ipsa definitione possumus invenire. Definitio autem secundum Aristotelem & Aristotelicos est talis:

Fortitudo est virtus moralis, quæ servat mediocritatem circa metum & fiduciam.

7. Hanc definitionem ut exponamus, cum definitum jam sit declaratum, ejus partes hic & notamus & easdem explicamus. Definitio constat genere & differentia. Genus est, quod sit virtus moralis. Nam quod fortitudo sit virtus patet (1) ex ejus objecto: versatur enim circa metum & fiduciam. Metus a. & fiducia sunt affectus, circa quos corrigendos & dirigendos omnes virtutes sunt occupatae. (2) ex ejus formali. Fortitudo enim observat mediocritatem, quæ observatio mediocritatis virtutis formam constituit: ubi a. forma est, ibi est etiam ipsa res,



res, quia forma dat esse rei, adeoq; fortitudo non potest esse vera virtus. (3) *ex fortitudinis proprio*: quia versatur circa maximè difficilia, quod itidem genuina virtutis proprium est. (4) *ex fortitudinis effectu*. Ubicunq; n. reperitur virtuosus effectus, ibi etiam causa ut sit virtus, est necessum. Atqui in fortitudine reperitur virtuosus effectus. E. Major est certa, cum omnis effectus testetur de sua causa. Minor itidem negari nequit, cum effectus fortitudinis sint nobilissimi, unde hæc virtus etiam homines ipsos solet nobilitare. Deinde quod sit virtus *moralis*, probatur itidem, (1) *à causa efficiente*, quia moribus acquiritur & comparatur fortitudo. Nam est habitus ex crebris constitutus actionibus. (2) *ex virtutis moralis definitione*: quæ tota fortitudini conveniens. (3) *ex fortitudinis subiecto*. Quia in voluntate suam habet sedem, non verò in intellectu. In voluntate autem virtutes morales reperiuntur. (4) *ex fortitudinis usu*: ejus enim opera magni æstimatur in vita civili & politica, quæ non in theoria, sed in praxi consistit. Ergo etiam fortitudo circa mores versatur. (5) *ex fortitudinis actu*: Illa siquidem in actionibus humanis, quæ sunt aut formidabiles aut fiduciales, mediocritatem regiam observat.

9. *Differentia* desumpta est partim à materiali, quod est motus & fiducia. Accipiuntur a. (1) partim *naturaliter & physice*, quatenus se sequuntur naturalem hominis constitutionem & sunt affectus seu passionēs animæ sensitivæ; circa affectus hosce dirigendos fortitudo suam locat operam. Partim *habitu aliter, moraliter, & ethice*, quatenus scilicet ex habitu agendi in homine acquiruntur, & sic sunt vitia animi potius, quam affectus naturales, & hoc modo inter hæc duo vitia tanquam inter excessum & defectum versatur fortitudo (2) partim *interne* pro ipsius effectibus; partim *externæ* pro rebus, affectus hos moventibus. Unde duplex oritur fortitudinis *objectum*, *internum & externum*.

10. *Internum* est, circa quod interius ipsa fortitudo est occupata, ut illud moderetur, & ita hæc duce omnis ejus aberratio evitetur. Estq; nihil aliud quam *affectus*, qui in rebus formidabilibus & fiducialibus solent aberrare, & vel ad defectum

B

descen.



descendere, vel ad excessum ascendere. Tales affectus sunt metus & fiducia. Cum enim fortitudo vera sit virtus, ut antea est declaratum, ideo ut circa aliquem affectum tanquam circa materiam internam illa verferet, necessum est.

II. Externum duplex est: vel generale; vel speciale. Generale iterum est vel *primarium* vel *secundarium*. *Primarium* est *formidabile & terribile*. Quod probatur (1) à *formidabilium natura*. Formidabile quod est, horrorem solet in eutere; adeoque malum ipsi naturæ inferre: quæ autem fiducialia sunt, potius bonum videntur promittere. Sicut præter alia etiam hoc constat. (2) *ex utriusq; affectus definitione*: Spes definitur (ad cuius naturam fiducia quam proximè accedit) quod sit affectus bonus, quo dum bonum futurum appetitur, cor ad illud recipiendum se præparat & dilatat. Timor vero seu metus, est affectus malus, qui ex spirituum coarctatione & cordis compressione ob imminentis mali fugam oritur. Ex quibus omnibus patescit, magis virtutem debere esse occupatam circa formidabilia, quam circa fiducialia. (3) *à virtutis proprietate*. Quod est difficilius in virtutum objectis, circa illud potissimum virtutes sunt occupatæ, ut patet ex 2. Eth. 3. At difficilius est sustinere & perferre formidabilia, quam fiducialia. Illa enim mala sunt, hæc bona esse possunt; illa in passione, hæc in actione consistunt. Jam difficilius est mala perferre, quam inferre. (4) *à fortitudinis splendore*. In quocumq; objecto magis conspicua est vis fortitudinis, circa illud potissimum versatur. Atqui vis fortitudinis magis conspicitur in formidabilibus, quam in fiducialibus, quia illa fortitudinem erigunt, acunt; hæc v. fortitudinem laxant. (5) *à fortitudinis officio*. Quod magis solet perturbare animum circa illa etiam magis occupata est fortitudo. Atqui formidabilia magis perturbant ipsam animum. E. Notandum a. h. l. quod formidabilia *alia* sint *ὡς τὰ ἀνθρώπων*, quæ nimirum, majora sunt, quam ut ab humana mente possint vel contemni, vel sustineri, E. G. Terræ motus, fulgura, tonitrua &c. *alia* vero sunt *κατ' ἀνθρώπων*, quæ suo modo ab hominibus sanâ mente præditis possunt tolerari & superari. Non illa, sed hæc objectum fortitudinis constituant.



12. *Secundarium est fiduciale* *θερηγ. λέον*, quod hominibus in rebus adversis fiduciam aliquā afferre, eosq; animosos reddere potest. Quae omnia ex praeced. th; jam sunt firma. Sunt autem illa fiduciale in duplici differentia, *vel ὑπὲρ ἀνθρώπων*, quae plane sunt divina, & omnia hominum auxilia superantia; unde maximam confidentiam, consolationem & spem libertatis solent afferre; quale auxilium Deus olim & ad huc hodie solet Martyribus offerre, eosq; contra omnem hostium tyrannidem abire: *vel κατ' ἀνθρώπων*, quae in humanis solet consueta esse auxiliis, & in rebus adversis atq; periculosis homini fiduciam addere. Hujusmodi sunt amici, divitiae, munitiones, arma &c.

13. *Speciale objectum est Mors*, quae omnium terribilium terribilissimum. Intelligitur a. potissimum *mors bellica*, quae omnium est *honestissima* (1) *ratione objecti*, quia in periculo honestissimo oppeditur, qualia sunt pericula bellica. Bellum enim, si justum sit, ex justa & legitima causa susceptum, modo justo etiam gestum, utiq; etiam pericula bellica erunt honesta (2) *ratione scopi*, quia pro defensione aliorum nimirum religionis, patriae, libertatis, legum, parentum &c. suscipitur. Quae omnia non nisi ad solam tendunt honestatem (3) *ratione consequentis adjuvantem*, quia fama, quae est aeternitatis lingua & tuba eam sequitur.

14. Partim à *Formali*, quod consideratur, tum *ratione sui*, tum *ratione extremorum*, quia ex utroq; mediocritas promanare solet. Ratione sui quando consideratur, omnes circumstantiae probe sunt considerandae & observandae. (1) *Personae*, in qua requiritur *partim scientia*. Nam quae ex ignorantia oriuntur facta, nullam penitus veram habent fortitudinem. *Arist.* quidem lib. 3. cap. 8. etiam hujus fortitudinis facit mentionem, quod detur quaedam fortitudo inscia seu ex ignorantia profecta, quae definire solent, quod sit animositas quaedam in adeundis periculis profecta ex periculi ignorantia. Verum ipse Aristoteles confitetur, quod illa sit saltem apparens fortitudo. Partim *libertas*, quia fortitudo non debet esse, coacta quam homines poenae formidine compulsi ad legum iussa patrare & periculis masculè sese obiectare solent. Hanc nec eadem ratione Aristoteles respuit. Partim *integritas*. Pueri n. ut virtutis non sunt capaces, ita nec fortitudinis



nis possunt esse observatores. Huc pertinet & illud, quod communiter ad sexum hæc virtus restringitur virile, quia Ciceronis iudicio ipsa est propria viri virtus.

15. (2) *Objectis* cuius notanda (1) *magnitudo*. Pericula nulla, quibus vir fortis est subiectus, sunt longe maxima. (2) *multitudo*: quia sunt quotidiana (3) *conditio*. Ita debent esse *humana*, quia quæ sunt supra hominem, tum in fiducialibus tum in formidabilibus, ea nemo sanæ mentis appetit. Deinde debent esse *honestæ*. Nam quæ ab honestate sunt remota, virum fortem non constituunt. Peccant ergo illi, qui multis sceleribus mortem violentam sibi attrahunt. Hi si quandam in poenarum inflictione præ se ferant fortitudinem, ea minimè est vera censenda. Tandem debent esse *licitæ*. Quæ n. legibus divinis & humanis sunt prohibita, huic virtuti non sunt consentanea. Unde *ἀντιόχοι* gravissimam corpori suo injuriam afferunt, dum violentas ipsi manus inferunt.

16. (3) *Modi*. Consistit hic (1) *in libera electione*. Unde & illa fortitudo, ad quam iure quodam sumus adstricti, nimirum *civilis*, apparet tantum est, non vera, quia leges à singulis civibus eam in defendenda patria requirunt, (2) *in prudenti operatione*. Nam prudentiâ hic opus est, & quæ in sola experientia, non a. in vera prudentia fundatur fortitudo, illa saltem apparet dicitur ab *Arist.* d. l. qualis est *militaris* (3) *in constanti continuatione*. momentanea enim fortitudo, nulla est fortitudo, sed quæ perpetua est, ea vera perhibetur.

14. (4) *Finis*. Sic vir fortis non aget (1) *Job vindicta cupiditatem*, qualis fortitudo est iracunda *Arist.* d. l. (2) *non ob lucri & prædæ magnitudinem*, ut milites. (3) *non ob nudam spem evasione*, & est in fiduciarum fortitudine. (4) *non ob vanam gloriæ consecutionem*. Sed (5) *propter solam honestatem*. Sicut n. omnis virtus solam respicit honestatē, ita etiam vir fortis solius honestatis gratia operetur. Reliquas circumstantias breviter, ergo hic rejicemus.

18. *Extrema fortitudinis duo sunt*: alterum in excessu, nimirum *Audacia* quæ est vitium morale quod peccat in excessu circa metum & fiduciam. Notandum h. l. quod hoc vitium nomine sit unum, re ipsa v. duplex. Nam continet (1) *ἀφοβία*, quæ est vitium morale, quod peccat in excessu circa metum (2) *ὀργή* a. l. *audaciam proprie sic dictam*, quæ est vitium morale, quod peccat in excessu circa fiduciam.

19. *Alterum in defectu Timiditas*, quæ est vitium, quod peccat in defectu circa terribilia. Ubi notandum quod Timiditas h. l. non sumatur *Physicè* sed *Ethicè*, non pro nature affectu, sed pro vitioso habitu. Quo etiam referre solent *Desperationem*, quæ est vitium morale, quo animus in confidendo deficit, & metuendo modum excedit.

Tantum est, quod de nobilissima Fortitudinæ hac vice volumus afferre.



90 A 6406

ULB Halle 3  
002 916 622




56

Retro V

VDMA









Inches  
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.



30

J.  
M BTHICARUM  
TIO IX.

UDINE,

SES

Deutschman

ensis.

MUS SCHLEUSING,  
ondens.

ublict

o Minori  
art.

idianis.

RGÆ.



Anno, M. D C. LII.

